

ratcrum, tanquam nomen proprium istius vie, ita transferentes: *Venit Israel per viam Atharim.*

P. 2. quales fuerint igniti serpentes, quos cit. cap. 7. 6, in populum, ob tedium itineris et nauseam mannae murmurantem, immisit Deus.

R. non fuisse proprie ignitos, seu ignem spirantes, ut quidam opinati sunt, ait Tirinus; sed vocantur igniti, quia morsu, vel afflatu suo tantum aestum inducebant, ut adurere viderentur.

CAP. XXII, XXIII, XXIV.

*Balaam, rex Moab, vocat Balaam hariolum, ut maledicat Israelitis, quem angelus, asina loquente, severe reprehendit: Deo autem verba ejus dirigente, benedicit Hebraeis; et pulcherrimum de Christo profert vaticinium.*

QUESTIO PRIMA.—UTRUM BALAAM FUERIT PROPHETA DEI, AN DIABOLI.

Expugnatis per Israelitas feliciter Amorrhæis, cum Moabitæ tanquam vicini etiam sibi metuerent, Balac rex Moabitarum, inito cum suis consilio, sollicitat Madianitas terræ suæ vicinos, ut junctis viribus sese opponant Israelitis adventantibus: nec hoc satis videbatur, sed insuper

7. 5: *Misit ergo nuntios ad Balaam, filium Beor hariolum.* Hariolus autem proprie significat illicitis modis divinantem: dicuntur enim harioli, ait Isidorus, lib. VIII Ethymolog., cap. 9, qui circa aras idolorum nefarias preces emittunt, et funesta sacrificia offerunt eis, quibus celebratis, dæmonum responsa accipiunt.

Pro voce hariolum in hebraico habetur *Pethor*; unde LXX, Pagninus, Oleaster, Vatablus, et alii, retinent vocem hebraicam, quasi nomen proprium loci, ut nempe significent eum in urbe Pethora habitasse, quæ ad Euphratem sita est; unde chaldæus habet: *In Pethor Syriae, quæ est circa Euphratem*: id est, *Mesopotamia Syriae*, prout etiam noster interpretes vertit Deut. XXII.

Quia tamen idem nomen appellative significat hariolum, conjectorem et somniorum interpretem, et constabat ex progressu historia: ipsum Balaam talem esse, maluit interpretes latinus appellative potius, quam proprie illud nomen usurpare. Sed quæstio manet qualis hariolus, seu divinator fuerit, an propheta Dei, an diaboli. Eugubinus, Cajetanus, Tirinus, Abulensis et alii existimant ipsum fuisse prophetam Dei, uti dicuntur fuisse Sibyllæ, et Mercurius Trismegistus apud Ægyptios, qui quamvis pleraque vera cecinerint, putantur tamen idololatræ fuisse. Quæ opinio quamvis non videatur omnino improbabilis, tamen sententia opposita apparet verisimilior. Unde

R. et dico: Multo probabilius est quod Balaam fuerit verus ariolus, qui dæmonis auxilio se tanquam prophetam venditabat. Ita censent Marius, Menochius, A Lapide et alii.

Prob. I. Quia juxta nostram Vulgatam vocatur hari-

lus, quæ vox magum significat, sive eum, qui dæmonis alloquia captat: soletque vox illa in Scripturis in malum accipi.

Prob. II. Quia Balaam quæsitivus augurium, ut patet ex cap. XXIV, 1, et ad illud captandum septem aras extruxit, et ad excelsa Baal ductus fuit, tanquam illum coleret, et cui sacrificia offerret.

Præterea ipse voluit maledicere Israeli, et ad hoc captavit hæc auguria, et vaticinia diaboli; sed Deus loco diaboli ipsi occurrit, eumque invitum benedicere Israeli coegit: ex quo patet quod tanquam magus a dæmone edoceri solet.

Prob. III. Quia Josue XIII vocatur hebraice divinator. Unde Origenes, Hom. 13 in Numer., vocat eum *Famosissimum in arte magica, et carminibus noxiis præpotentem.* Theod., q. 40 in Numer., dicit: *Ille quidem non verum Deum interrogabat: respondit ei tamen Deus, non is qui rogatus fuerat, sed quem ignorabat.* Similiter eum fuisse augurem tradunt S. Cyrillus, lib. VI de Adorat.; Ambros., lib. VI, epist. 37; Nyssenus in fine lib. de vita Moysis; Procopius, Rabanus, et alii vetustiores.

Prob. IV. Quia rex Balac illum vocari jussit, ut Israelitas malediceret, quia, ut dicitur 7. 6, noverat rex quod omnis ille esset maledictus, in quem Balaam maledicta sua evomebat; adeoque debebat esse homo similibus assuetus, et ut talis notus: atqui nullus verus propheta potuit alicui maledicere, ita ut esset maledictus, et hoc quidem ad libitum petentis; ergo, etc. Nam licet veri prophetæ aliquando mala futura prædixerint, et hoc ad correctionem populi; nunquam tamen suis verbis causa fuerunt mali istius futuri.

Prob. V. Ex S. P. Aug., Q. 48 in Numer., dicente: *Nihil hic sane mirabilius videtur, quam quod loquente asina, territus non est Balaam; sed insuper ei, velut talibus monstris assuetus, perseveranter respondit: atqui veri prophetæ talibus monstris non sunt assueti; ergo. Item ibidem ita prosequitur S. P.: Deinde ita permissus est dicere, ut jam per ipsum prophetia clarissima proferretur: nam omnino permissus non est dicere quod volebat, sed quod virtute spiritus cogebatur.* Atqui veri prophetæ nunquam volebant aliter dicere quam Deus inspirabat, nec ad aliter dicendum aras idolis extruebant; ergo.

Similiter auctor serm. 105 de Tempore inter opera S. Aug. dicit: *Hic Balaam famosissimus erat in arte magica, et in carminibus noxiis præpotens.*

Obj. I. Solebat Balaam consulere Deum verum, nam 7. 8 dicit nuntiis: *Manete hic nocte, et respondebo quidquid mihi dixerit Dominus.* In hebraico autem habetur nomen illud Dei gloriosum tetragrammaton JEROVA; ergo erat verus propheta.

R. Neg. ant. Nam per Dominum intelligebat suum Baal seu dæmonem: unde auctor serm. 105 de Tempore dicit: *Balaam divinatulis* (id est, muneribus in pretium divinationis) *acceptis, cum solerent dæmones ad se venire, fugatis quidem, vidit adesse Dominum.*

Certum est autem quod Balaam non nominaverit

nomen JEROVA, nam illud nunquam audiverat; sed fuit usus alio nomine, quo Moabitæ solebant appellare Deum, qui non erat Deus verus, sed Baal, sive dæmon. Moyses vero, quia non moabitice, sed hebraice scribebat, pro eo substituit nomen Dei veri Hebræorum JEROVA; sicut in tota Genesi exprimit illud nomen in colloquiis patriarcharum cum Deo; quamvis illud nomen ignoraverint: nam Moysi primum revelatum fuit Exod., VI, 3.

Dici etiam potest quod Moyses eventum istius actionis Balaam spectaverit, non intentionem ejus; quia Deus pro dæmone ipsi occurrit.

Inst. I. Nisi verum Deum animo sincero coluisset, et consulisset, non fuisset ita paratus ipsi in omnibus obedire sicut legitur 7. 15, 18, 54 et 58.

R. ipsum quidem primo aliquam laudabilem obedientiam præ se tulisse, sed non fuisse nisi larvatam et inconstantem: nam mox cum nobiliores legati venirent, iterum Dominum consulit ut posset ire cum ipsis. Hinc S. P. Aug., Q. supra cit., ait: *Jam enim constans esse debuit, semel audito quod ei dixerat Dominus: Non ibis cum eis... sed ibi se victum cupiditate monstravit, ubi loqui sibi Dominum de hac re iterum voluit, de qua ejus jam cognoverat voluntatem.*

Inst. II. Deus permisit ipsum ire cum nuntiis, ut dicitur 7. 20: ergo hoc faciendo obedivit Deo.

R. cum S. Aug. ibidem: *Dominus videns ejus cupiditatem captam devictamque muneribus, permisit eum ire, ut per jumentum, quo vehebatur, ejus avaritiam coerceret, hoc ipso confundens illam dementiam, quod prohibitionem Domini per angelum factam asina transgredi non auderet, quam ille cupiditate transgredi conaretur, quamvis eandem cupiditatem timore supprimeret.* Permisit igitur Deus Balaam abire cum nuntiis, ut ejus durities et cæcitas argueretur per asinam, quæ 7. 27 videns angelum stantem in angusto loco, per quem Balaam transire volebat, ulterius pergere noluit, sed sub pedibus sedentis concidit, atque ad Balaam locuta est, ut dicitur 7. 28.

Deinde cum nuntiis permissus est ire, ut jam per ipsum prophetia clarissima proferretur; nam omnino permissus non est dicere quod volebat, sed quod virtute spiritus cogebatur, ait Aug. ibidem. Permisit ergo rursus Deus Balaam abire, ut non alia loqueretur, quam illa quæ a Deo audiret: idque ad hoc ut per ipsum celebraret se et populum suum Israel, utque Balac per eum, quasi proprio gladio jugularetur. Voluerat enim Balac per Balaam maledici et diris devoveri Israel, ut liquet ex 7. 6: jam Deus hoc in caput ejus retorquet, dum facit Balaam vocatum et paratum ad maledicendum, benedicere Israeli, ut sibi persuadeat Balac, certissime eum a Deo esse benedictum.

Inst. III. Si non fuisset solitus cum vero Deo conversari, non occurrisset ei Deus, quoties eum consulere voluit.

R. Neg. assumpt. cum auctore serm. 105, de Temp.: *Venit enim ipse Dominus ad Balaam, non quod dignus esset ad quem venisset Deus; sed ut fugarentur illi, qui ad maledicendum et malefaciendum ad-*

esse concueverant. Eodem modo IV Reg. I, 3, cum Ochozias rex Israel misisset nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, angelus a Deo missus præcepit Eliae, ut nuntiis illis futuram regis mortem prædiceret.

Inst. IV. Rex Balac, 7. 6, dicit illi: *Novi enim quod benedictus sit, cui benedixeris*: atqui magi non possunt ita benedicere, cum semper cogantur malefacere; ergo.

R. 1. cum auctore serm. cit.: *Ego non credo, quia sciret, quod quibus benedixerit, benedicti sint: sed videtur mihi adulandi gratia hæc dicere, ut artem ejus extollens, promptiorem reddat ad facinus.*

R. 2. per benedicere intelligendum esse, in gratiam alterius alteri malefacere, ut, v. g., hostem profligare, etc.

Obj. II. cum Tirino: Balaam vocat Deum verum, Deum suum; dicit enim 7. 18: *Non potero immutare verbum Domini Dei mei.* Idem repetit cap. XXIV, 15: ergo, etc.

R. 1. ipsum per Deum suum intellexisse dæmonem, præsertim cap. XXIV: nam ibi, ut dicit præcit. auctor serm. 105: *Ædificat aras, et victimas imponit dæmonis, et apparatus magico poscit divina consulta.* Deinde etiam dato quod hoc 7. 18 per Deum suum intellexerit Deum verum.

R. 2. inde tantum sequi quod tunc verum Deum cognoverit, ipsamque consuluerit; non vero ante vel post: nam mox cap. XXIII ad solitas suas artes magicas ædificando septem aras, etc., revertitur.

Negari ergo non potest quin a vero Deo prophetias illas quæ cap. XXIII et XXIV referuntur, acceperit, fueritque modico illo tempore verus propheta: sed inde non sequitur quod talis fuerit ante vel post: Dominus enim etiam hominibus malis, et per homines malos sæpe loquitur. Unde S. P. Aug. lib. II ad Simplic., Q. 1, dicit: *Balaam reprobus apparet, et tamen prophetiam habebat.*

Videtur S. Hieron. sentire quod fuerit verus propheta; sed hoc refert tanquam traditionem Hebræorum, quæ communiter non sunt nisi fabulæ.

P. quis fuerit iste Balaam?

Tradunt Hebræi quod Balaam fuerit ille Eliu amicus Job, ut testatur S. Hieron. in tradit. hebraicis in Genesim. *Ex genere, inquit, Bus est Balaam ille divinus, ut Hebræi tradunt, qui in libro Job dicitur Eliu, Attamen quod Balaam non fuerit iste Eliu,*

Prob. Quia iste Eliu a Scriptura in nullo corripitur, nisi quod judicaverit Job esse reum peccati: Balaam corripitur in multis, ut patet ex supra dictis, et ex Epist. 2 S. Petri, cap. II: *Secuti viam Balaam ex Borsor, qui mercedem iniquitatis amavit.* Eliu fuit vir vite sanctæ, ut patet ex ejus discursu, Balaam vero per-versæ, ut patebit ex Q. sequenti.

QUESTIO II.—QUÆDAM RESOLVUNTUR DE BENEDICTIONE ET PROPHETIA BALAAM: ITEM DE EXCEGATIONE MENTIS ET PRAVO CONSILIO EJUS.

Cap. XXI., 7; Assumptaque parabola sua dixit,

Sententia quaelibet gravis, quæ eminent et illustris est, ac quasi princeps inter sententias, quales sunt sapientum proverbialia aut prophetarum oracula, in Scripturis vocatur *parabola*, hebraice *mascal*, quod derivatur a *dominari* seu *principari*.

ŷ. 8 : *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Censet Abulensis, quod Balaam persistens in impia voluntate maledicendi, coacte benedixerit, Deo scilicet, citra propositum ipsius, movente linguam ejus, non animum, quasi foret arreptitius. Multo tamen verisimilius est quod Deus, saltem ad tempus, immutaverit propositum et voluntatem Balaam, movendo ejus voluntatem, illustrando intellectum, ut pie et libenter, atque ex animo hæc loqueretur.*

Prob. I. Quia protestatus est Balaam, tum antequam veniret, tum postquam venisset ad regem, se nihil aliud posse, aut etiam velle dicere, quam quod Deus posuerit in ore ejus, quanquam exoptaret id esse maledictionem.

Prob. II. Quia cap. XXIV, 1, dicitur : *Cumque vidisset Balaam, quod placeret Domino ut benediceret Israeli, nequaquam abiit, ut ante perrexerat, ut augurium quæreret : sed dirigens contra desertum vultum suum... assumpta parabola, ait, etc.* Ex quo duo probantur : 1. quod antea, scilicet hoc cap., ŷ. 1, et iterum ŷ. 14, bis altaria illa ædificaverit dæmonibus, non vero Deo : nam ædificaverat ad quærendum augurium. 2. Quod jam videns Deum velle ut populus benediceretur, noluerit pro tertia vice abire ad auguria, sed quod Deo obtemperans, benedicere voluerit, quamvis forte libentius maledixisset, aut ipsi gratius fuisset si Deus permisisset ipsum maledicere.

Quod Deus non tantum illustraverit mentem ejus interne per prophetiam, sed et animum simul quoque piis desideris pulsaverit, videtur posse colligi ex eo quod dixit ŷ. 10 : *Moriatur anima mea morte justorum, scilicet Israelitarum Deum verum colentium ; ad illos quippe respiciebat. Familiare est autem impiis vitæ exitum justis parem sibi optare, quorum tamen mores non sequuntur.*

Balaam prophetiam suam, cap. XXIV, incipit hoc modo ŷ. 3 : *Dixit homo cujus obturatus est oculus.* Ob hæc verba rabbini fabulantur ipsum fuisse cæcum vel luscum. Aliqui interpretes intelligunt oculum ipsius fuisse obturatum per extasim. Barradius vero explicat hoc modo : *Dixit Balaam, homo cujus oculus mentis ad prophetandum omni luce caret, sed a Deo illuminatur. Dixit auditor verborum Dei, qui a Deo revelationem accepit ; cujus oculi mentis aperiuntur, dum cadit ; cadebat enim in terram, dum spiritu divino afflabatur : non sic veri prophetæ. Hæc interpretatio videtur valde genuina. Plurimi tamen dicunt quod prophetaverit oculo obturato, id est anima excæcata, quia in malitia sua perdurabat. Et hoc eodem sensu*

ŷ. 4 : *Qui cadit, nempe per malitiam voluntatis, et sic aperiuntur oculi ejus : siquidem, ut observat S. Greg., lib. XXVII Moral., cap. 20, mentem ejus prophetia ad celestia erigebat, et avaritia in terra re-*

tinebat. Interea namque videns quod non posset maledicere, ut tamen auro moabitico potiretur, dicit

ŷ. 14 : *Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium : ut observat S. P. Aug. Q. 63 in Numer. fuit hoc consilium malignum, ut eis (Israelitis) ad illecebram feminae supponerentur, per quas non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter in adorando idolo fornicarentur. Impiissimum illud consilium, cap. seq. factum, narratur : et licet consilio Balaam id factum ibi non referatur ; refertur tamen infra, cap. XXXI, 16, et Apoc. II, 14.*

Judicabat ergo Balaam præsidium Dei ab Israelitis auferendum, eosque a rege Balac superandos si ad luxuriam et idololatriam pertraherentur. Suasit itaque ut mulieres pulcherrimæ Moabitides collocarentur tanquam cibos vendituræ, aut negotiaturæ juxta castra Israel, quæ sua pulchritudine Israelitas primo ad luxuriam, et deinde ad idolum suum Beelphegor colendum pellicerent : ex quo improbitas Balaam satis elucet.

QUÆSTIO III. — AN SOLEMNIS ILLA PROPHECIA BALAAH : *Orietur stella ex Jacob*, CONGRUE INTELLIGATUR DE CHRISTO.

Cap. XXIV, 15 : *Sumpta igitur parabola, id est prophetia, dixit Balaam.* Notandum quod non cohæreant hæc cum præcedentibus, quasi hic proponit Balaam consilium suum, quod ŷ. 14 promiserat : sed est inchoatio materiæ plane alterius generis ; est enim vaticinium de Christo.

ŷ. 16 : *Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, qui scilicet spiritu prophetico illustratus subjungit*

ŷ. 17 : *Videbo eum, sed non modo : intuebor illum, sed non prope.* Abulensis sic explicat : Videbo eum, nempe in die judicii. Alii sic exponunt, Videbo eum, scilicet Israelæm exaltatum : sed sensus videtur esse : *Videbo eum, scilicet Dominum, cujus sermonum auditor nunc sum : Videbo eum, nempe Messiam in carne, sed non modo, supple, veniet.* Similiter intuebor, id est intueor eum mente prophetica, *sed non prope, supple adest.* Nam quæ de illo jam prædico, non tam cito evenient, sed longius absunt a nostris temporibus.

Juxta Marium et alios, videtur his verbis Balaam ad magos, Christi adoratores respexisse, atque indicasse eos ex sua prosapia descensuros, ita ut sibi congratuletur, quod saltem per ipsorum oculos Messiam visurus sit. Sed incertum est an illi magi fuerint ex posteris Balaam, inquit Tirinus : unde quod loquatur Balaam in persona totius generis humani, cujus oculus vidit Christum in terris conversantem, placet Jansenio.

*Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percuetur duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Judæi judaice hæc interpretantur et referunt ad temporalem prosperitatem regni israelitici ; atque per stellam et virgam intelligunt David : et revera quædam sunt quæ Davidi conveniunt ; David enim quasi

stella effulsit sapientia, pietate, fortitudine bellica et gloria sceptri seu regni : ita ut nemo eum tam sublimem tangere auderet, sicut nemo potest stellas contingere. Subjugatio etiam Moabitarum et Idumæorum ei convenit : ut patet ex II Reg. VIII. Attamen

R. et dico : Unanimiter christiani accipiunt hæc litteraliter de Christo Domino ; illum enim ista principaliter et directe spectant, cum quadam allusione ad ipsum Davidem et ad gesta ejus (quia David in multis Christum præfiguravit), sicut in prophetis fieri consuevit.

Enim vero ad Davidem alludi, non est quod negetur : primario tamen de Messia, filio et hærede Davidis, et per Davidem, tanquam per figuram, representato intelligi debere, certum est.

De Christo hæc intelligunt vetustissimus Justinus in dialogo cum Tryphone, S. Irenæus, lib. III, c. IX, Origenes, hom. 22 in Numer., Nysenus, orat. de Nativ. Epiph., Hieron. et alii patres. Unde clarissime vertit Chaldaeus : *Consurget rex de domo Jacob, et ungetur Christus de domo Israel, et occidet principes Moab, et dominabitur omnium filiorum Israel.*

Christus itaque hic dicitur *stella* ob claritatem et gloriam ; tum vitæ cælestis, tum resurrectionis et beatitudinis, tum propter naturam divinam et celestem, sicut dicitur *virga*, vel ut LXX legunt, *homo*, propter naturam humanam atque terrenam. Sic vocatur Christus *stella splendida et matutina*, Apoc. XXII, 16 et cap. II, 28.

In præfata autem prophetia stellæ potius, quam solis nomine appellatur, ut detur indicium aliquid nativitatis ejus, quæ per stellam significanda erat magis adoratoribus : unde Matth. II vocatur *stella ejus*. Siquidem ex hoc vaticinio Balaam, quod in Arabia editum fuit, et tum ibi, tum in vicinis regionibus celeberrima traditione conservatum fuit, magos fuisse excitatos ad quærendum regem illum, qui stellæ apparitione significabatur, observat Origenes cum aliis patribus.

*Et consurget virga de Israel.* In hebraico non habetur vox *isemach* quæ virgam nascentem seu germinantem designat, sed habetur *schevet*, quod sceptrum seu insigne potestatis regis denotat. Metonymice ergo significatur princeps, ac dominator nasciturus ex stirpe Israel, scilicet idem Messias.

*Et percuetur duces Moab.* Christus enim per se, et per suos apostolos jugo fidei suæ subegit Moabitas, Syros, Idumæos, aliasque gentes Judææ vicinas.

*Vastabitque omnes filios Seth :* id est omnes homines ; nam omnes sumus filii Seth per Noe : omnis enim progenies Cain diluvio interiit. Atque hinc patet non posse ista Davidi convenire, cui nunquam totus orbis seu universum genus humanum subditum fuit. Hinc

Nota, prophetis usitatum esse adventum Christi describere per modum atrocissimi cujusdam belli in omnes nationes gerendi ; ideo quia omnium gentium idololatriam, impietatem et scelera destructurus erat, vitiisque occisis, novas nomines facturus

S. S. XXVI.

*Expeditur supplicium de fornicatione et idololatria Israelitarum ; et sacerdotium supremum Phinees, cum posteris, consequitur. Israelitæ terram promissam ingressuri denuo numerantur.*

QUÆSTIO PRIMA. — CUJUSMODI FUERIT IDOLUM BEEL-PHEGOR ; ET AN MOYSES JUSSERIT PRINCIPES POPULI OCCIDI, AN VERO CONGREGARI TANQUAM JUDICES.

*Iratus est Deus, inquit S. P. Aug. Q. 52 in Numer., de fornicationibus Israel, et carnalibus, et spiritualibus ; nam et filius Moab se impudice miscuerant, et idolis fuerant consecrati.*

Factum exhibet sacra Scriptura, dum ita cap. XXV, 1, orditur : *Morabatur autem eo tempore Israel in Settim : est hæc 42 et ultima mansio Israelitarum in deserto, locusque est in campestribus Moab supra Jordanem, contra Jericho : unde in Settim gesta sunt, quæ deinceps in libro Numer. et Deut. describuntur.*

Hic locus infra cap. XXXIII, 49, vocatur *Abelsatim*, hebraice *Abelsettim*, addita voce *Abel*, id est luctus Settim, propter fornicationem, et idololatriam ibi vindicatam.

*Et fornicatus est populus cum filiabus Moab, et cum filiabus Madian, ut patet ex ŷ. 6. et 17, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua : cum jam amoribus et complexibus earum essent irretiti, et animos virorum feminae possiderent.*

ŷ. 5 : *Initiatusque est Israel Beelphegor, id est, certo ritu se consecraverunt Israelitæ cultui Beelphegor, seu potius usurparunt sacra idoli illius.*

Ut autem tradit S. Hieron. in ŷ. 10 cap. IX Osee : *Beelphegor vocatur Latinis Priapus, qui gentilibus erat deus turpitudinis, seu apertionis : id est deus nuditatis, ut aiunt Menochius et Tirinus. Unde ex variis auctoribus probat idem sanctus, Israelitas ipso fornicationis actu coluisse istud idolum : ritus enim colendi Priapum consistebat in tali turpitudine, in luxu, comessationibus, et omni honestatis dissolutione. Turpissimum Priapi simulacrum confregit piissimus rex Asa, III Reg. XV, 15.*

ŷ. 4 : *Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis.* Duplex est hujus loci expositio : aliqui sic exponunt : *Congrega principes, ut illi quasi judices, jubeant suspendi contra solem eos, qui fornicationis et idololatriæ rei sunt. Hunc sensum præferunt Menochius, Jansenius, et A. Lapide. Attamen*

Sensus planus et obvius (ipsismet fatentibus) videtur esse hic, ut jubeatur Moyses tollere principes velut reos, quasi ab his cœpisset impietas, vel tanquam consentientes, ut suspendantur contra solem, id est palam et in exemplum.

Hanc posteriorem expositionem secuti sunt LXX, dum ita vertunt : *Cape omnes principes populi, et statue eos in exemplum Domino, seu ad placationem Domini.* Hanc pariter amplectitur S. P. Aug. Q. 51 in Numer. ita scribens : *Ad Moysen dixit ut ostentaret Domino duces populi contra solem, in quo verbo intelligi*  
(Vingt.)

gitor eos jussos esse crucifigi. Similiter Theodoretus Q. 52 in Numer. dicit: *Cum populus peccasset, suspensi sunt principes, ut qui malum ab illis non depulissent.* Idem sentiunt Procopius, et Origenes, et inter recentiores Vatablus, Lyranus, et Barradius, qui pro hac sententia etiam citat Genebrardum, Rupertum, et Bellarminum.

Obj. I. Versu 5: *Dixitque Moyses ad iudices Israel (quos 7. 4 vocaverat principes, seu ut habetur hebraice, capita populi, quia instar capitis eum regunt) occidat unusquisque proximos suos, qui iniuncti sunt Beelphegor: ex quo patet principes illos supra a Deo tolli jussos, non ut suspenderentur, sed ut officio suo fungerentur in discernendis et puniendis reis.* Ita Jansenius.

R. quod Jansenius, et alii gratis assumant eosdem 7. 5 vocari iudices, qui 7. 4 appellantur principes: Iudices enim erant illi 70 viri de senibus Israel, quos supra c. XI, 16, Deus Moysi associaverat: principes autem erant capita, seu principes tribuum, aut saltem capita cognationis seu familiarum: ut dictum est cap. I, Q. II.

Obj. II. Non est verisimile omnes principes hic apostatas a Deo, esseque suspensos: imo contrarium constat ex eo, quod post hæc Zambri princeps tribus Simeon, fornicans cum Madianitide, non suspensus, sed a Phinees pugione confossus sit, 7. 14. Ita A Lapide.

R. nec etiam omnes fuisse suspensos, sed tantum illos, qui deprehensi sunt rei; quorum supplicio non territus Zambri ausus est crimen adhuc postea committere: unde dum 7. 4 dicitur: *Tolle cunctos principes, subintelligitur, cunctos qui rei sunt.*

Obj. III. Textus chaldaicus habet: *Tolle omnes principes, et occide illum, qui reus fuerit:* ergo jussit illos congregari tanquam iudices.

R. neg. conseq., quia sensus est: Ex principibus congregatis occide illum vel illos, qui rei sunt.

QUESTIO II. — QUOMODO SUBSISTAT FOEDUS SEMPTERNUM, QUO DEUS PROMISIT PHINEES SUMMUM SACERDOTIUM.

Cap. XXV, 6: *Et ecce unus de filiis Israel (erat hic princeps tribus Simeon, nomine Zambri) intravit coram fratribus suis ad scortum madianitidem.* Erat filia principis nobilissimi Madianitarum, ut patet ex 7. 15. Erant enim in Madian quinque principes, qui etiam infra cap. XXXI, 8, reges vocantur.

7. 7: *Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari, filii Aaron sacerdotis: magnus fuit hic zelus, et fortitudo Phinees, qui utrumque, scilicet et virum et mulierem occidit; poterat enim merito timere ne tota tribus Simeon in eum pro principe suo insurgeret, eumque lapidibus obrueret.*

7. 12: *Ecce do ei pacem foederis mei, id est, in eo cum Phinees foedus pacificum, quo secure et pacifice perfruetur.*

7. 13: *Et erit tam ipsi quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum.* Loquitur Dominus de summo sacerdotio. Fuit autem hoc pactum sempiternum

æternitate legis, id est quoad lex vetus duravit.

Obj. I. Ex lege, et jure gentium, debebat Phinees, utpote primogenitus, succedere patri Eleazaro: ergo nihil beneficii specialis ei confertur.

R. Neg. conseq. siquidem specialis Dei favor est: 1. quod assecuretur hic ipsi longior vita, scilicet quod supervicturus sit patri, cui in pontificatu succedet; 2. quod habiturus sit similiter filios hæredes sui sacerdotii, et ipsi similiter, etc.

Obj. II. Quomodo subsistit hæc promissio Dei facta Phinees, cum post pronepotem ejus, translatus fuerit pontificatus ad Heli, qui erat de familia Ithamar patris Phinees? Siquidem, ut tradit Josephus lib. V Antiq. cap., ult., et lib. VIII, cap. 1, Eleazar in pontificatu successit Phinees; hæc filius Abisue, hinc filius Bocci, huic filius Ozi, a quo translatus est pontificatus ad Heli, qui fuit de familia Ithamar; et patet ex lib. I Paralip. cap. XXIV, 5.

R. cum Dionys. Carthus. aliisque præclaris interpretibus, foedus hoc fuisse conditionatum, si nempe posterius ejus in fide et cultu Dei constanter perseverarent. Sic enim foedera, quia mutua, obligationem utrimque inducere solent.

Hinc vi istius foederis factum videtur; quod resipiscens posteris Phinees, quod contigit tempore Davidis et Salomonis in Sadoc, qui I Paralip. XIII, 28, vocatur *puer egregie indolis, summum sacerdotium illis iterum redditum fuerit, et illud deinceps retinuerint in sua familia.* Hinc

Nota quod post Heli in pontificatu successerit Achitob, qui fuit nepos Heli ex filio ejus Phinees; post hunc Achitob successit Achias, deinde Achimelech, deinde Abiathar: atque ab hoc rursus rediit pontificatus ad familiam Phinees per Sadoc, qui, ejecto Abiathar filio Achimelech de posteris Heli, sacerdotium, generi suo debitum, per Salomonem recuperavit, III Reg. II, 7. 35.

Cap. XXVI, 1: *Postquam noxiarum (scilicet illorum qui cum filiabus Moab et Madian fornicati fuerant) sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen et Eleazarum: 7. 2: Numerate omnem summam filiorum Israel.* Fuit hæc tertia populi numeratio, in qua iterum numerati sunt a 20 annis et supra, ut nempe recenserentur viri bellatores; quia proxime bellaturi erant cum Chanaanais.

7. 12: *Filii Simeon, etc., Gen. XLVI, 16, et Exod. VI, 5, numerantur sex filii Simeonis, hic vero tantum quinque: omittitur enim Anod sextus. Videtur ergo vel sine liberis mortuus, non constituisse familiam, vel certe ejus familia postea interiisse, nec sortem habuisse in terra Chanaan. Simile quid observare licet respectu Benjamin, cujus in Gen. numerantur decem filii, hic solum quinque.*

Porro ex presenti numeratione patet, valde minutam fuisse tribum Simeonis: nam in priori enumeratione, numerata sunt capita hujus tribus 59,300, ut patet supra cap. II, 13; hic vero tantum numerantur 22,200: adeoque diminuta est hæc tribus 37,100 capitibus.

Ratio hujus diminutionis, pro majori parte desumi solet ab interpretibus ex superiori plaga, ob fornicationem cum Madianitis immissa: videtur enim illa plaga maxime sævisse in tribum Simeon; castrametabatur enim ad partem meridiionalem, id est versus terram Moabitarum, et Madianitarum.

#### CAP. XXVII, XXVIII, XXIX.

Occasione filiarum Salphaad, Deus fert legem, ut deficiente prole mascula, filie parentibus succedant in hereditatem: jubetur Moyses ex monte Abarim contemplari terram promissam: tractatur de Neomeniis, et festo Tubarum.

QUESTIO PRIMA. — QUO TITULO POSTULAVERINT FILIE SALPHAAD POSSESSIONEM IN TERRA PROMISSIONIS.

Cap. XXVII, 1: *Accesserunt autem filie Salphaad...*

7. 2: *Steteruntque coram Moysen, et dixerunt 7. 3: Pater noster... in peccato suo mortuus est.* Non est sensus quod sit mortuus propter aliquod crimen particulare; sed propter culpam publicam generalem, quæ omnes affecit, nempe propter murmur in Cadesbarne excitatum ab exploratoribus: adeoque non debet ideo privari sua hereditate, alias omnes deberent privari. Hinc etiam addunt: *Nec fuit in seditione, ac si dicerent: Non est percussus a Deo ut Core, propter particulare aliquod facinus, quod privationem hereditatis mereatur; cum cæteri, qui æque murmuraverunt, ac ipse nihilominus hereditatem habituri sint: adeoque*

*Curt tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium?* Postulant sibi dari possessionem, seu hereditatem pro patre suo mortuo sine mascula prole, ut per hereditatem istam maneat nomen patris sui in Israel. Ita enim futurum erat, ut filii istarum filiarum, saltem aliqui, ab hereditate Salphaad denominarentur posterius sui filii Salphaad; nam cujus hereditatem adibant, ejus quoque nomen sequebantur filii.

Enimvero si caruissent hæc filie hereditate patris sui, et cum sola dote pecuniaria, seu rerum mobilium, nupsissent maritis, tunc filii ex eis nati debebant sequi nomen maritorum, seu patris sui, non autem matris, seu avi materni. Assignata ergo his filiabus hereditate patris sui, nomen avi materni etiam propagabatur.

Collige ex hoc loco, quod Israelitarum filie habentes fratres, nullam acciperent portionem hereditatis rerum immobilium; sed proles masculæ omnium istarum erant hæredes. Ratio erat, quia per masculos, non per feminas distinguuntur et conservantur familie.

P. quomodo Moyses designaverit Josue suum successorem.

R. Postquam Moyses Dominum instanter rogasset, ut posset intrare in terram promissionis, ut habetur Deut. III, 23, Deus preces ejus repulit, jussitque illum ascendere in montem Abarim, ut illic totam terram promissam contemplatus, moreretur. His auditis

Moyses mire sollicitus de salute populi, dixit Domino 7. 16: *Provideat Dominus Deus spirituum omnium carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc.* Deum appellat spirituum omnium carnis, id est omnium animarum quæ sunt in carne rationis participes.

7. 18: *Dixitque Dominus ad eum: Tolle Josue filium Nun, in quo est Spiritus.* Sumitur hic Spiritus pro Spiritu. S. ejusque donis ad regendam rempublicam necessariis. Unde chaldæus vertit: *In quo est Spiritus prophetiæ.* Congregavit ergo Moyses omnem populum, et coram Eleazaro summo sacerdote statuit Josue, et imposuit manus suas super caput ejus: et hac cæremonia creavit eum principem populi. Quinimo Deut. XXXIV, 9, dicitur: *Josue vero filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas.*

QUESTIO II. — DE NEOMENIIS ET FESTO TUBARUM.

Cap. XXVIII, 11: *In calendis autem offeretis holocaustum Domino.* Hebraice habetur: *In capite mensium;* græce: *In neomeniis,* id est in noviluniis: nam ipsorum menses a novilunio incipiabant.

Voluit autem Deus has calendæ, sive novilunia sibi consecrari, quia erant primitiæ mensium. Quod calendæ celebrarentur per festum proprie dictum, asserit hoc loco Tirinus; sed negant Jansenius et A Lapide, qui censent primam diem mensis non fuisse proprie festum in populo, sed sacrum in templo; licet forte multi ex devotione ab opere servili cessarent: et recte: nam nullibi opera servilia in noviluniis prohibentur.

Dices: Psal. LXXX dicitur: *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.* Ergo calendæ celebrabantur per festum proprie dictum.

R. Neg. conseq., quia ibi non agitur de primo die ejuslibet mensis, sed de novilunio septimi mensis, in quo celebrabatur festum Tubarum in gratiarum actionem collectæ et peractæ vindemiæ, ut indicat titulus istius psalmi, qui inscribitur *Pro torcularibus.*

Cap. XXIX, 1: *Mensis etiam septimi prima dies venerabilis et sancta erit.* Agitur de festo Tubarum, ita vocato, quia in eo clangebatur tubis; unde additur: *Omne opus servile non facietis in eo, quia dies clangoris est et tubarum.*

R. et dico 1: Festum illud non est institutum in memoriam liberati Isaac ab immolatione, et substituto in ejus locum ariete, ideoque cornibus arietinis clangi solitum, ut tradunt Hebræi: 1. Quia nulla alia festa instituta sunt in memoriam alicujus particularis, saltem a Deo, sed in memoriam alicujus publici beneficii. 2. Quia alias debuissent plura alia festa institui, v. g., ob memoriam liberationis Abraham a multis periculis mortis in aula Pharaonis, etc., liberationis Jacob a Laban et Esau: liberationis Josephi a fratribus, a Puthiphare et carcere, etc.

Dico 2. Probabilius videtur hoc festum institutum esse, ut isto clangore tubarum homines admonerentur se preparare ad alia festa, quæ hoc cap. illo eodem mense septimo celebranda præscribuntur: nam